



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

45. Sigismundi Imp. Diploma Dat. Norimbergæ, Anno MCCCCXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

diant, inquietent aut turbent, quam chara omnibus & singulis est, prædicti gratiosi Domini nostri Marchionis gratia & fauor, nostrumque insuper mandatum. In testimonium veritatis omnia supradicta firmiter & inuiolabiliter obseruandi, nostrum sigillum hisce litteris appendi curauimus. Datum anno Domini millesimo quadringentesimo octauo, vigilia Beati Bartholomaei Apostoli.

45.

*Sigismundi Imperatoris Diploma Datum Norimberge,
Anno MCCCCXXII.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis feliciter Amen. Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae &c. Rex ad perpetuam rei memoriam, ad hoc summi dispositio- ne præsidij principalis Monarchiæ obtinuimus principatum, ad hoc sacri Romani Imperij suscepimus dyadema, vt si ad alia extrinseca nos sollicitudo pro- uocet assidue, ad ea tamen, quæ statum felicem & quietum, ac incrementum iurium, gratiarum, & libertatum, personarum religiosarum respiciunt, tanto intendamus vberius, quanto nostrum præ cæteris mundi Principibus solum magnificenter erexit celestis prouidentia Creatoris. Hanc religiosorum Abbatis & Conuentus Monasterij S. Maximini prope Treutrim ordinis S. Benedicti, deuotorum nobis dilectorum oblata nostro culmini petitio continebat, quatenus de solitæ benigitatis nostræ clementia cis omnia & singula priuilegia, litteras, libertates, concessiones, donationes & gratias, quas & quæ à diuina memoriæ Romanorum Imperatoribus ac Regibus prædecessoribus nostris, ac alijs Christi fidelibus obtinuisse noscuntur, approbare, innouare, ratificare & confirmare gratosius dignaremur. Nos igitur, qui personas Monasticas, quæ conditori nostro condignum assidue præbent obsequium, promouere deside- ramus assidue, supradictorum Abbatis & Conuentus deuotis supplicationibus fauorabiliter annuentes authoritate Romana Regia, & ex certa nostra scientia eis omnia & singula priuilegia, nec non omnes & singulas libertates, concessio- nes, donationes, litteras, & gratias ipsis Abbatii & Conuentui supradicti Mo- nasterij à diuis Romanorum Imperatoribus & Regibus, ac alijs Christi fidelibus, ritè & prouide concessa & tradita ac concessas & traditas in omnibus suis tenoribus, punctis & clausulis de verbo ad verbum prout scripta sunt seu scri- pta forent, etiam si de his iure vel consuetudine mentio specialis fieri deberet authoritate & scientia prædictis approbauiimus, innouauimus, ratificauimus & confirmauiimus ac præsentibus approbamus, innonamus, ratificamus, & gra- tiosius confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ appro- bationis, innouationis, ratificationis, & confirmationis paginam infringere, aut ei quoquis ausu temeratio contraire. Si quis autem hoc attentare praesum- pserit nostram & Imperij sacri indignationem se nouerit incursum, præcen- tum sub nostræ Maiestatis sigillo, testimonio litterarum. Datum Noremberge Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, secunda die Mensis Septembris Regnorum nostrorum Anno Hungariæ &c. tricelimo sex- to, Romani duodecimo, Bohemię verò tertio P. D. G. Episcopum Patavien- sem Cancellarium Michael Præpositus Boleslauiensis.

46. Eli